

Servimus Domino, quia ipse est Deus noster.

Léctio libri Iósue

24, 1-2a. 15-17. 18b

In diébus illis:

¹ **C**ongregávit Iósue omnes tribus Israel in Sichem et vocávit maióres natu ac príncipes et iúdicés et præféctos, steterúntque in conspéctu Dei;
^{2a} et ad totum pópulum sic locútus est:

[2b-14]

¹⁵ «Si malum vobis vidétur, ut Dómino serviátis, elígite vobis hódie, cui servíre vultis, utrum diis, quibus serviérunt patres vestri in Mesopotámia, an diis Amorræórum, in quorum terra habitátis. Ego autem et domus mea serviémus Dómino».

¹⁶ Respondítque pópulus et ait:
«Absit a nobis, ut relinquámus Dóminum et serviámus diis aliénis.

¹⁷ Dóminus Deus noster ipse edúxit nos et patres nostros de terra Ægýpti, de domo servitútis; fecítque vidéntibus nobis signa ingéntia et custodívit nos in omni via, per quam ambulávimus, et in cunctis pópulis, per quos transívimus.

[18a]

^{18b} Serviémus ígitur étiam nos Dómino, quia ipse est Deus noster».

Verbum Dómini.